CAPVT VI.

DE IMPVTATIONE MORALI, CVLPA ET DOLO.

§. 75.

Quid imputatio?

Imputari actio alicui dicitur hoc loco, quatenus is declaratur cauſſa libera actionis & omnium illius conſectariorum; *imputatio* proinde eſt iudicium illud, quo quis cauſſa libera actionis declaratur; vt ſi quis intemperanter viuendo ad paupertatem, deſperationem redigatur, tum illi & ipſa intemperantia & eius conſectaria adſcribi & imputari poſſunt.

§. 76.

Quae actiones imputari poſſunt?

Actiones imputari non poſſunt homini niſi liberae, i. e. quae ſunt in eius poteſtate; nempe per imputationem homo declaratur cauſſa boni & mali ex actione emergentis: nequit autem actio dici bona vel mala, niſi ſit libera: neque ergo imputari, niſi ſit libera. Sic actiones quaelibet infantibus, furioſis, ſomnambulis, brutis, rebus inanimatis imputari non poſſunt: quia liberae non ſunt.

§. 77.

An actiones naturales?

Actiones naturales per ſe imputari homini non poſſunt: poſſunt autem, ſi quocumque modo a libero arbitrio illius pendent; nempe priore caſu liberae non ſunt, ſunt vero poſteriore. Sic, ſi ſtomachus male digerit cibos, ſi obiecta remotiora non percipis diſtincte, imputatio locum non habet:

bet: at vero locum habet, si intemperanter viuendo haec vitia contraxisti &c.

§. 78.

Intelligis hinc quoque, quando sensationes, somnia imputari possint: tum nimirum, cum impediri ea possunt (§. 508. 509. 520. 521. 529. Psych.), nec tamen impediuntur; dependent enim re ipsa a libero hominis arbitrio. An sensationes?

§. 79.

Actiones ex errore aut ignorantia vincibili susceptae imputantur, non item ex errore aut ignorantia inuincibili; nempe penes hominem fuit priore casu, non errare, & necessaria non ignorare: non fuit autem penes eum secundo casu. Si quid contra praecepta decalogi agis, imputatur tibi, etsi praecepta ista ignorabas. An actiones ex errore aut ignorantia?

§. 80.

Actiones metu quocumque susceptae imputantur; equidem metus seu leuis seu grauis, seu iuste seu iniuste incussus, relinquit homini facultatem agendi & non agendi, proinde libertatem (§. 607. Psych.) non tollit: imputantur autem omnes actiones liberae (§. 76.); ergo & actiones metu quocumque susceptae. Si metu mortis ad periurium te adigi finis, recte imputatur tibi; sic perinde nemo dubitat, cuilibet christiano sequenda esse exempla Sanctorum Christi Martyrum, qui nec suppliciorum nec mortis metu a sententia dimoueri potuerunt: & nemo An actiones ex metu?

nemo dubitat iis imputari potuisse, si se a christiana religione quibuscumque artibus dimoueri passi fuissent.

§. 81.

An ex affectibus?

Intelligis perinde, actiones vrgentibus affectibus susceptas imputari posse; nempe in potestate hominis est, *tum* efficere ne appetitus tam vehementes euadant, *tum* eisdem exortis resistere; libertatem ergo non omnino tollunt; igitur actiones vrgentibus illis susceptae imputari possunt. Si ira excandescis adeo, vt alterum occidas, mors illius tibi imputatur.

§. 82.

An facta aliena?

Facta aliena imputantur tibi, si quocumque modo a libera tua voluntate dependeant; dum enim facta aliena quocumque modo a libera tua voluntate dependent, ratio aliqua, cur haec alter commiserit, in tua libera voluntate continetur; es igitur tu quoque causa libera harum actionum, etsi non vnica; igitur & tibi non minus imputantur, quam committenti. Sed hoc casu tu es causa *moralis*, ille *physica* (§. 372. Ont.); vt si proditionem patriae molientem non reueles, aut consilio adiuues: si iniustam sententiam calculo probes.

§. 83.

Quando aliena facta ab alicuius volun-

Causa moralis sequentibus quatuor praecipue modis efficere potest, vt actio aliena ab eius libera voluntate dependeat: 1. actionis *ideam* quibuscumque modis producendo:

do: 2. *voluntatem* determinando: 3. *media* sup- tate de-
peditando: 4. *impedimenta* tollendo; plerique pen-
hi modi notis illis versiculis continentur: dent?

Iussio, consilium, consensus, palpo, recursus,
Participans, mutus, non obstans, non manifestans.

§. 84.

Et quidem 1. *iussio* est omne mandatum ex- Explipressum aut tacitum, praemium, pollicatio.
citatio ad agendum determinans; seu obligationem imponere possit, qui iubet, seu minus:

2. *Consilium* pertinet ad modum actiones suscipiendi:

3. *Consensus* locum imputationi facit in eo, qui dissensu actionem impedire potest:

4. *Palpo* est, qui adulando, laudando, vituperando, irridendo, alterum ad committendam aut omittendam actionem v. g. ad vindictam sumendam, iniuriam inferendam &c. inducit:

5. *Recursus* est securitas, patrocinium, defensio, occultatio ante malam actionem promissa:

6. *Participans* est, non solum, qui commodum ex actione sentit, sed etiam, qui male agentem ope sua iuuat, seu sponte, seu metu & minis adductus:

7. *Mutus*, *non obstans*, *non manifestans* ille dicitur, qui factum suscipiendum scit, nec improbat, nec impedit, nec manifestat iis, qui impedire possunt; vt paterfamilias, qui

pra-

prauae viuendi rationis filiorum, seruorum &c. curam insuper habet.

§. 85.

An actiones brutorum?

Actiones brutorum, rerum inanimatarum, infantum, amentium &c. tibi imputantur, si *aut* illas impedire potuisti, nec impediuisti, *aut* tua libera actione ad illas concurristi, etenim vtroque casu actiones a tua libera voluntate dependent. Hinc si canem mordacem vagari finis, aut verbis ad mordendum instigas: si infantem aut amentem non custodisti; isque in puteum se praecipitat, imputatur tibi actio & eius consectaria.

§. 86.

An sunt gradus imputationis?

Monendum saltem hoc loco est, imputationis varios esse gradus, alias actiones magis imputari, alias minus: nempe pro mensura libertatis, qua in agendo quis vsus est; hinc actiones indeliberatae, ex ignorantia, errore, metu, ebrietate susceptae, item faciles, minus imputantur, quam actiones deliberatae, praemeditatae, cum pleno rationis vsu & aduertentia commissae, aut cum magnis difficultatibus coniunctae.

§. 87.

Quid culpa?

Culpa dicitur defectus rectitudinis actionis, quoad *intellectum* vincibilis; experimur nempe frequenter homines committere aut omittere actiones, non dedita opera & consulto, sed ex ignorantia aut negligentia aut praecipitantia, vincibili tamen: his tribuimus culpam; sic si venator latentem feram occisurus,

rus, occidat hominem: si medicus ignorans nociuum porrigat medicamentum, vtriusque *actio culposa* est.

§. 88.

Dolus dicitur defectus rectitudinis actionis quoad *voluntatem*; committunt & omittunt nimirum homines non minus frequenter actiones quasdam ex proposito & scientes: his tribuimus dolum; sic qui equum morbosum & occultis vitiis laborantem vendit pro sano &c. *dolose* agit. Quid dolus?

§. 89.

Actio culposa, & multo magis dolosa, recte homini imputatur; vtraque enim harum actionum a libera agentis voluntate dependet: prior, quoniam ignorantia, negligentia aut praecipitantia est vincibilis: posterior, quia deliberata & consulto suscepta est actio; merito igitur homini imputatur. Sed denique id hic iterum notandum, quod paulo ante diximus, gradus imputationis in his actionibus locum habere. An culpa & dolus imputatur?

FINIS PHILOSOPHIAE PRACTICAE VNIVERSALIS.

PHI-